

**De ovariorum degeneratione : dissertatio pathologico-medica ... / auctor
Henr. Jacob. Guil. Beck.**

Contributors

Beck, Heinrich Jacob Wilhelm.
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Berolini : Typ. Jordanianis, 1830.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/j5g56y2j>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

9

DE
OVARIORUM
DEGENERATIONE.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PATHOLOGICO-MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILIELMA,

PRO SUMMIS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS
RITE IMPETRANDIS

DIE XX. M. DECEMBRIS A. MDCCCXXX.

H. L. Q. S.
PUBLICÉ DEFENDET

AUCTOR

HENR. JACOB. GUIL. BECK,

RHENANO - BORUSSUS.

~~~~~

OPPONENTIBUS:

C. DOINET, MED. ET CHIR. DR.

H. THIENEMANN, MED. ET CHIR. DR.

E. LANGE, MED ET CHIR. DD.

---

BEROLINI, TYPIS JORDANIANIS.

Νόσους, ούσας ἐξ ἀνθρώπων, ἄνθρωπος ἰᾶται.

Hipp. Aphor.

**AVUNCULO,**

**VIRO ILLUSTRISSIMO, AMPLLISSIMO,**

**DILECTISSIMO,**

**STANISLAO SCHMITT,**

**PROCURATORI REIPUBLICAE SUMMO**

**HASCE**  
**STUDIORUM PRIMITIAS QUAESCUNQUE**  
**PIO GRATOQUE ANIMO**  
**CONSECRAT**

**AUCTOR.**

## Prooemium.

---

Moris est sapienter receptum, ut, qui summos in Facultatibus honores assequi velint, publicum quoddam profectuum suorum exhibeant specimen, ex quo, quid valeant humeri, quid ferre recusent, colligi possit. Cui quidem ego satis mori facturus quamnam scribendi materiam eligerem, haud diu haesitabam. Attritum enim illud navita de ventis, de tauris narrat arator. Sic et ego medicinae atque chirurgiae studia mea consecrans, eaque mirum in modum dilectatus, ex his eligere, quae disceptatione publica haud plane indigna sint, mecum constituebam. — Ovariorum morbos mihi cum studio domestico perscrutanti, tum duobus celeberrimis in nosocomio Caritatis Berolinensi observanti magno semper fuit gaudio varias variorum explicandi rationes colligere, collectas inter sese comparare, e comparatis eam, quae propius a vero abesse videretur, eligere, quam sequeretur: delectam denique firmis superstruere fundamentis. Attamen non est mihi in animo diversas diversorum de illis morbis sententias adducere, adductas virorum, qui ingenii sagacitate et doctrinae fama iure censentur praestantissimi, diiudicare

et ineptas repellere, ita ut me putem iis antecellere posse iuvenem: sed exempla tantum, nonnulla pro multis, quae in magnis nosocomiorum solis institutis offeruntur, enarrabo, unde, quid verisimillime de ovariorum morbis habendum sit, eluceat.

Sed nullus inter multos ovariorum morbos medicorum atque chirurgorum animos tantum in se yertit, quantum eorum degeneratio, quippe quae summas cum in ea dignoscenda, tum in ea curanda praebet difficultates. Quapropter, quae ad hoc genus pertinent exempla, e copia quaedam depromere mihi licitum sit. — Primitias meas, priusquam ipsas offeram, mihi praemittendum est, eam ob causam me solis fere exemplis, quid de degeneracionibus iudicandum sit, dicere, quod, quo minus longam morbi ipsius explicationem ac dissertationem edam, temporis penuria impedit. Nam, quae est conditio mea, medici militaris suscipiendi officia, indies fieri potest, ut ad exercitum, patriae defendendae causa collectum atque congregatum, abire iubear. — Neque tamen rem ipsam gravissimam exemplis allatis absolutam esse volo, sed secundum dispositionem, quam promptam habeo, in posterum tempus, quo magis otio abundabo, differam.

---

---

## Historia morbi I.

---

**R**egina Richter, ancilla, triginta quatuor annos nata, temperamenti atrabilarii, constitutionis haud invalidae, quum, menstruis fluentibus, tempore aestivo fervida aquam gelidam bibisset et refrigeratione illorum fluxus cessisset, abdomen tumidum sibi traxit. Insecuti sunt dolores pungentes, ardentis, a ventris parte incipientes anteriore ad dorsum usque sese extendentes. Affectibus morboris mox valde auctis, aegrota in nosocomio caritatis Berolinensi auxilium petiit et quinque mensibus post restituta dimissa est.

Sed haud diu postea, quum subito molestiae, modo allatae, reverterentur, in nosocomium nostrum redire coacta est. En! in regione umbilicali induratio animadversa est, quae, quanta fuerit, in integumentis abdominalibus per manus explorandis, haud potuit defini.



Quae utrum pars mesenterii an fundus uteri fuerit, pro certo dici nequii. At mirandum tamen fuit, ambitum et tumoris et abdominis interdum mox imminutum, mox iterum brevi tempore auctum esse.

Praescriptum est hoc:

Rep. Extr. tarax. drachm. iij.

— card. bened. drachm. j.

Aquae destill. unc. vj.

Elaeosacch. foenic. drachm. ij.

M. D. S. Omni bihorio cochlear maius sumatur.

Quibus medicaminibus per longius tempus adhibitis non cessit morbus, sed doloribus in abdomine ita auctis, ut aegrotata nocte somnum capere nequiret, vespertino tempore nonnullae guttae tinct. opii crocatae porrectae sunt. E portione vaginali investigata hanc induratum fuisse apparuit, quapropter iniunctiones, ex decocto herbae cicut., (ex unc. j ad ℥j.) praeparatae, factae sunt, quae tamen per plures dies sine ullo effectu repetitae sunt: sicuti etiam pediluvia interdum frustra porrecta.

Magnam vero praebuere levationem sex hirudines, ad portionem vaginalem uteri applicatae. Neque tamen impediri potuit, quominus post duodecim dies abdominis molestiae redirent; et abdomen digitis tactum dolor acerrimus occupavit. Sed viginti hirudines, in loco dolente positae, et balneum calidum aegrotam alacrem reddiderunt. Subito vero ita aegrae status mutatus est, ut vehementissimi dolores colici intrarent, ad quos pellendos aqua laurocerasi, in dosibus parvis,

guttis quinis interne, atque externe clyisma cum tinctura opii Thebaica ordinata sunt. Nihilominus virium collapsus magis magisque increvit. Una cum meteorismo vomitus intravit et mors, gelidis extremitatibus praenuntiata, decima vespertina hora consecuta est.

### Obductio cadaveris.

Abdominis cavitate aperta superior eius pars plane normalis reperta est. Sub symphysis ossium pubis, proxime tegumentis abdominis, cum his ipsis circumiacentibus intestinis et utero coalitum, iacuit sinistrum ovarium, cuius parietes gangraena affecti et densati erant. Remotis et separatis intestinis praeiacentibus, tota pelvis cavitas materia, partim dense fluente, ex albo flavescente, partim tenuiter fluente, puriformi, referta inspicere potuit. In tenuiter fluente pure particulae lenticulares materiae solutae et adipatae inventae sunt, quae per foramen in averso pariete ovarii, marginibus fissis, inde abhinc usque ad medias inferiorum viscerum incurvationes extensa erat. Internus ovarii paries, qui trium fere digitorum cavernam demensus est, totus erat corrosus; basi eius tres erant infixi dentes incisores, bene formati, et dens molaris, a densa quadam spongiosa materia circumdatus et radicibus inhaerens. Magna quoque pilorum, lineas nonnullas longorum, acerva haud longe a dentibus genuerant; omnique pure submoto, duo curvatis radicibus coaliti, singulusque curvatus et exformatis coronis

praeditus dens, restiterunt, neque tamen ovario implicati. Uteri os, quamquam intumuerat, non tamen erat induratum, sed omnino sine ulla morbosa affectione. Aditus ad tubas liberi, canales vero quadrantem tantum digiti patentes erant. Ovarium dextrum longo solo et tenui scapo cum utero coniunctum in albi sacci formam, nonnihil tantum rubefacti et conclusi et tendinosae structurae, iecit, nullo loco cum circumdantibus partibus concretum, in iliaco interno, sub ipso coeco, refertumque fuit materia ex albo flavescente, in formam dense fluentis redacta et omnis paene odoris carente. Qua quidem remota, adiposa quaedam tendinosis nonnullis filis cum ovarii pariete coniuncta superfuit massa, in qua capillorum conturbatorum fascies, sine radicibus, ut in extremis decisi, inventi sunt. Praeterea durius, tendinosum, in quo contenta ossibus plena attrectare poteras, enormis figurae superfuit corpus, e quo duo exculti dentes eminuerunt. Etiam alius dens incisivus, parvo autem tendinoso vinculo, cum eo cohaeruit. Praeparatum museo anatomico traditum est.

## Historia morbi II.

---

Carolina Wiese, coqua, quadraginta novem annos nata, constitutione atrabilaria, neque debili corpore praedita, nunquam prius morbo ullo gravi sese laborasse contendit. Menses, hucusque semper regula-

res, cum novissimae apparerent, finem emanandi ultro non fecerunt, nec aliter nisi fortibus stypticis remediis, tam externe, quam interne adhibitis, vehemens illa sanguinis profluvies sisti potuit. At hacce haemorrhagia valdopere debilitata atque correpta, aegrotata paulo post exinde ascite hydrope affecta est, qui in dies magis magisque crescens, iam vitae periculum minitabatur, qua de causa citissime aegra nosocomio Caritatis tradita est.

Vultus aegrotatae erat anxius et satis luculenter mortem, iam portam pulsantem, praeaugurabatur; facies collapsa et extremitates pallebant et frigebant, sudore frigido obductae; pulsus erat valde debilis, parvus et modice frequens; loquela vix percipienda.

Abdomen, maximopere tensum et frigidum, sub digito premente dolores summos ostendit, oedema extremitatum inferiorum faciei et labiorum vulvae non aderat. Quae cum ita se haberent, aegrae remedium excitans volatile praescriptum est hoc:

Rep. Aquae cinnamomi. simpl. unc. ij.

Spir. nitric. aeth. drachm. ij

Syrupi albi. unc. j.

M. D. S. Omni bihorio cochlear minus sumendum.

Sera vespera, cum iam cito gradu mors immineret, quo remedio vita conservetur, punctio abdominis instituta est, cum nihil esset, quod eam vetaret.

Iam nocte insequente status aegrotatae valde mutatus est. Pulsus magis plenus, fortis et celer reddi-

tus est, facies et extremitates sensim sensimque calorem naturalem recuperaverunt, vultus quoque melior factus est; ipsa magnam tantum debilitatem accusavit, ceterum valde levatam se sensit, ante aliquas horas magis quam dimidio modioli aquae evacuata. Versus tempus matutinum aegra molli somno gavisata est per sex horas continente; sed, postquam expergefata est, de magna debilitate est conquesta; nihilominus, menses vi suppressi ut restituerentur, utque simul in diuresin ageretur, hocce remedium praescriptum est:

Rep. Solut. tart. boraxat. (unc. dimid.) unc. vj.

Spirit. nitric. aether. drachm. j.

Roob Iuniper. unc. j.

M. D. S. Omni bihorio unum cochlear.

Die XVII. Aegra adhuc magnam debilitatem accusat, ceterum status idem ac tempore matutino post operationem; pulsus est respectu circumstantiarum satis fortis et plenus, neque tamen celer. Ut magis jam in diuresin ageretur, nunc praescriptum est:

Rep. Infus. herb. digitalis (scrup. j) unc. vj.

Tart. boraxat. unc. dimid.

Roob Junip. unc. j.

M. D. S. Omni bihorio unum cochlear.

Simulque ut antiphlogisticae ageretur et alvus excitaretur, praescriptum est:

Rep. Calomel. gr. vj.

Rad. althae. scrup. dimid.

M. F. Pulv. Dentur tales doses VIII.

D. S. Omni bihorio pulvis unus sumatur.

Die XX. Sensim nunc rursus abdominis volumen increscit, simulque indurationes lobi sinistri hepatis animadvertuntur. Qua de re hanc medicinam resolvendam recepit aegrotā:

Rep. Infus. herb. digital. (scrup. j) unc. vj.

Tart. borax.

Extract. gram.

Extract. tarax. ana unc. dimid.

M. D. S. Omni bihorio unum cochlear.

Simul quoque aegra de molesta quadam siccitate et miti ardore infra collum conquerebatur, contra quod hoc adhibitum est:

Rep. Mell. rosat. unc. ij.

D. S. Saepius per diem cochlear minus sumatur.

Sed nihilominus haec remedia impedire non poterunt, quo minus aqua rursus colligeretur; debilitas quoque eadem manebat, imo crescebat, cum pulsus rursus celerior et minor fieret, quamquam debilitas, qua aegra sese correptam contendit, cum pulsu consentire non videbatur. Appetitus ciborum quoque magis magisque imminutus, lingua muco albo oblecta est, ut brevi dicam: omnia turbatae et alienatae digestionis symptomata apparebant. Remediis iisdem adhuc semper aegrotā utebatur.

Die XXIX. Cum turbatae digestionis functiones in diem crescerent, lingua muco albido subflavo oblecta esset et appetitus ciborum fere nullus adesset, tartarus boraxatus non amplius adhibitus, sed hoc remedium praescriptum est:

Rep. Decoct. Levistic. (unc. i) unc. vj  
 Tinct. digital. drachm. dimid.  
 Spirit. muriat. aether. drachm. i.  
 Roob iuniper. unc. i.

M. D. S. Omni bihorio unum cochlear.

Die XXX. Cum illa medicina malum aporem haberet, extracti taraxaci drachm. iij additae sunt, quibus sapor melior reddatur. Tumor abdominis increscens respirationem nunc efficit difficilem et fere laboriosam qua impetus sanguinis ad caput augetur.

Exinde facies aegrae valde rubet et maximopere debilitatam se sentit. Ceterum appetitus ciborum hucusque non rediit. Nunc infricatio in dolens et tensus abdomen facta est:

Rep. Ungt. Rorismar. unc. sesqui.

D. S. Ad infricationem.

Qua diuresis adaugeatur, alia in abdomen infricatio instituta est, haec:

Rep. Olei terebint. unc. i.

Aquae font. unc. iv.

Vitelli ovi unius.

M. D. S. ad infricationem.

Ceterum nihil insignè accidit. — Ex mense Martio anni 1829 quinquies punctio abdominis instituta est, simulque continuo remedia antihydrica externe et interne applicata sunt. Ceterum in universum status vix multum mutatus est; nam medio Mense Decembri 1829., quo tempore ego primum aegrotam vidi, hydrops in eodem fere gradu adhuc aderat, quo Mense Martio delineatus est: vires tantum et status universus aegrotæ aliquantulum meliores inveniuntur. Appetitus ciborum et somnus bonus, extremitates autem emaciatae, abdomen intumefactum, tensum, fluctuans, evacuationes organorum uriniferorum et intestinorum segnes, ita ut clysmata frequenter adhiberentur et remedia diuretica, saepissime mutata, dosibus in diem ad auctis praerberentur, necesse esset.

IX. D. mens. Decemb. illa contra hydropem maxime celebrata radix Caincae adhibita est, et quidem ita:

Rep. Infus. rad. Cainc. (drachm. iij) unc. vj.

Vini stibiat. unc. dimid.

Liq. ammon. anisat. scrup. j.

M. D. S. Omni bihorio cochlear maius sumatur.

Initio, ut omnia antihydrica, ita hoc quoque remedium bonum effectum habuit, sed paulo post ad augendam diuresin magnis dosibus opus erat. Hoc remedio, quod in nostræ aegrotæ quoque alvum satis incitabat, per quatuor hebdomades utebatur, et in posteriore quidem mensis Decembris parte quoque die infuso caincae (ex unc. i ad unc. vi parato). Cum aegrotæ



conditio re vera melior reddita non sit, sed potius tumor addominis increverit, Cainca porro non data est, sed ad hoc praescriptum transitum fecimus  $\frac{3}{1}$  30:

Rep. Decoct. Levist. (unc. dimid.) unc. vj.

Tart. borax. unc. dimid.

Elaeosacch. Sabin. ana unc. dimid.

M. D. S. Omni bihorio unum cochlear.

Hoc remedium melius in aegrotam egit, quam omnia alia prius porrecta; nam non solum diuresis maxime adaugetur, sed alvus etiam valde excitata, ita ut, cum prius semper obstructione laborasset, nunc unoquoque die quinquies vel sexies alvum deponeret et tensio abdominis magis magisque decresceret. Aegrotata valde debilitatam se sensit quidem, sed respectu status morbi summum levamen agnoscere vix non potueris.

$\frac{1.5}{2}$ . Valetudo, si eam ad conditionem universam referas, semper eadem remanet. Qua diuresis per aliquot dies aliquantulum imminuta rursus excitetur et adaugeatur, thea praescripta est ex baccis Juniperi, quae effectum optatum habuit.

$\frac{2.4}{2}$ . Ut vires iam magis magisque decrescentes aliquantum erigantur, illi decocto levistici addita est Spiritus nitric. aeth. drachm. sesqui. Molestiae quaedam rheumaticae non magni momenti erant et ultro evanuerunt.

$\frac{3}{3}$ . Pilulae quaedam laxativae obstructionem quo-

rundam dierum sustulerunt et magnum conditionis levamen afferebant.

$\frac{13}{2}$ . Nunc decoctum levistici, quod, quamquam continuo et sedulo adhibitum sine fausto eventu mansit, in diosma crenatum mutatum est, cuius grana v. cum semin. foenic. granis vj. et sacchari albi scrupul. dimid. unoquoque die ter adhibita sunt.

$\frac{20}{3}$ . Sedes, hoc remedio frequentissime excitatae, vires quidem aegrotae valde exhauriunt, attamen in univ. sum conditio satis bona: etenim tensio abdominis magis magisque decrescit, urinae autem secretio non valde adaucta, ceterum urina clara et levi enaeoremate praedita. Dosis diosmatis ad gr. viij. adaucta.

$\frac{25}{3}$ . Quoque die ter alvus est soluta, sedes sunt tenues; dosis diosmatis (cuius hucusque aegrotata unc. dimid. accepit) usque ad gr. x. adaucta est, cum effectus satis bonus esset.

$\frac{3}{4}$ . Aliquoties sudor apparuit, ceterae secretiones quoque bene procedunt. Dosis diosmatis ad gr. xv. adaucta.

$\frac{15}{4}$ . Dosis diosmatis ad scrup. j. adaucta. Secretiones eodem modo, quo prius procedunt; abdomen magis magisque tenditur. Borborygmi in abdomine,

dolores trahentes in dorso et ructus interdum excruciant aegrotam.

Emaciatio corporis semper in dies procedit, — ex quibus omnibus nihil aliter nisi exitum funestum praesagire possumus.

$\frac{28}{4}$ . Abdomen magis magisque tensum redditum est, nec non accrevit, ita, ut viscera valde premerentur et respiratio difficillima facta esset.

Nocte praeterlapsa vehemens et valde debilitans diarrhoea unaque cum vomitu aeruginoso intravit.

Versus tempus matutinum haec omnia sunt iterata, et quidem ita, ut aegrotata versus meridiem spiritum effunderet.

### Cadaveris sectio.

Cavum thoracis per diaphragma, in ipsum pressum, valde coarctatum invenimus; pulmones sani, cor parvum et languidum. Ex cavo abdominis aperto modiolus unus cum dimidio seri cuiusdam valde rubri et tenuis effundebatur.

Hepar quidem parvum, ceterum autem sanum; lien marcidum et putridum humorem crassum ex rubro flavescens continebat.

Intestina ad partes superiores pressa conditionis sanae reperta sunt, sed omnino valde brevia.

Maximum totius abdominis cavi partem complebat ovarium dextrum, quod sacco simile et sero atro ac rubro plenum reperimus.

Pelvis maioris partem dimidiam dextram plures manum adaequantur atque etiam excedentes hydatides ovarii dextri implevere, quarum aliquae massam quandam steatomati similem continebant, et quasi ligamentis, ut ita dicam, ad colon ascendens adnexae erant.

Ovarium sinistrum partem pelvis sinistram partemque cavitatis abdominis occupabat, neque non ex hydatidibus multo singulariori et magis miro modo conformatis constabat. Uterum magnum, vesicam urinariam valde parvam, vaginam perbreve invenimus.

### Historia morbi III.

---

Friderica Schlaeminska, triginta novem annos nata, firmae constitutionis, optima semper gavisa est valetudine, cum omnes infantum morbos, nullo statu obnoxio relicto, sustinisset. Menses decimo aetatis anno intraverunt, et secundum regulas redibant; duos

infantes sanos sine difficultate et prosperrimo partu edidit. Anno 1815, quarto postquam concepit, mense, casu infelici in abdomen abortum fecit, posteaque per longius tempus metrorrhagia laborabat, quam remittentem menstruationis anomalia suscepit. Nonnullis annis post iterum fecit abortum; et cum hic tertium esset anno 1820 consecutus, primum tumorem in regione inguinali animadvertit, qui a sanie sanguinis, per quatuor annos ex utero effluente, comitatus maiorem ambitum accepit. Aegrota postea denuo concepit, sed fructus ei aculatio iam tertio consecuta est mense, ex quo gravis facta erat, reliquitque in utraque regione inguinali dolores usque ad spinam dorsalem se extendentes, magnisque molestiis aegrotam cruciantes. Illo tempore tumor dextrum praecipue latus occupavit; cum autem aegrota ante annum in acquiescendo magno labore subito abdominis quasi rupti dolore affecta esset, et tum calorem undique se effundentem sensisset, paucis diebus etiam sinistrum ventris latus ita tumuit, ut tumor undique esset aequalis. Molestiis, tensione, abdominis pressu, et tumore celeriter auctis, aegrota auxilium in nosocomio caritatis petiit.

Pressum in regione inguinali dextra, anxietatem, iacendo in tergo crescentem, in sedendo se minuentem, dolores in pelvi usque ad spinam dorsalem propagatas

et circa breviam costarum marginem versantes, sensum plenitatis in ventriculi regione, si cibis blandis fructa erat, magnam sitim, affectiones haemorrhoidales saepe revertentes aegrotā conquesta est.

Ventriculus aequaliter et valde tumida abdominis tegumenta tensa erant, quapropter fluctuatio undique clara. In regione inguinali tumorem infantis capitis magnitudine digitis attrectare poterat, quem a dextro ovario proficiscentem, ante menstrua intransientia augeri, et intransientibus illis minui aegrotā dixit.

E symptomatibus apparuit, ascitam affuisse, qui haud dubie e degenerato ovario exstiterat. Exploratio per vaginam nihil certum de tumoris sede patefecit.

Ea in usum vocata sunt remedia, quae secretiones aquosas maturarent, et resorptionem adaugerent. Salia media, antimonialia et mercurialia, scilla maritima, herba digitalis, baccae iuniperi, aliaque diuretica medica intermittenda erant, quod vehementem sine ullo in morbum effectū excitaverunt diarrhoeam. Longissime acidum hydrocyanicum retentum est, quamquam etiam hoc nihil profecisse dicendum est. Frustra porro etiam mense praeteriti anni Augusto galvanismus adhibitus est, quae quidem remedia omnia, quominus vehementer urina mitteretur, cohibere

non potuerunt, sed ita lotium mense Augusto auctum est, ut magnus existeret metus, ne diabetes consecuturus esset. Ventriculi tumor nullam paene tulit mutationem, vel, si qua incidit, levis fuit celeriterque evanuit. Ante menstrua intransia, quatuordecim singulos dies continuata, aegrotae molestiae auctae, et minutae sunt iis intransibus.

Dolores saepe ventriculum occupantes et molestiae haemorrhoidales hirudines modo in locis dolentibus, modo in perinaeo applicandas postulaverunt. Contra magnam in abdominis tegumentis tensionem inunctiones ex Oleo hyoscyami cocto vel fomentationes ex infuso chamomillarum immixto aceto saturnino adhiberi necesse fuit. Tumor in regione inguinali dextra modo magis, modo minus per abdominis tegumenta digitis attrectari potuit; maximus autem fuit ante menstrua intransia. Mense Martio punctione in solito loco inter umbilicum et spinam ossis ilei sinistri lateris facta modiolus fere turbidi subcani fluidi emanavit. Operatione praeterita aegrotata valde se caducam esse dixit; mox vero se refecit, ex quo colligi potest, diuretica et mitigantia remedia haud sine effectu esse adhibita.

Sed contra expectationem renum exstitit inflammatio, quae tamen, methodo antiphlogistica adhibita,

curio dulci sumto, praeteriit. Molestiae urinales haud vehementes restites menstruis intransibus plane sublatae sunt, et aegrotata in pristinum statum redacta est. Copiosissima urinae secretionem tumor abdominis semper magis magisque increvit, tensio quoque abdominis integumentorum valde adaucta est. Itaque, cum conditio aegrotatae respectu morbi eius satis bona esset, punctio abdominis rursus instituta est, eaque facta tredecim modiolii aquae detracti sunt. Statim post operationem aegrotata satis bene se habuit; at iam eadem vespera febris tam vehemens cum pulsu duro ac pleno intravit, ut sanguinis detractio liberae unius institui eaque die insequente iterari deberet.

Alvi obstructio usum calomelanos (omni bihorio grana duo) sibi expoposcit.

Iam post tertiam dosin febris mitigata alvus soluta est, et aegrotata tempus usque ad horam septimam matutinam sine ulla sive locali, sive universali molesta affectione se habuit.

Contra omnem opinionem subito mors consecuta est, postquam ante breve tempus aegrotata sibi aliquid expoposcit.

### Sectio cadaveris.

Postquam abdominis cavum apertum est, magna aquae copia emanavit, simulque cum ea massa




quaedam semifluida, hydatidosa, quae ex magno, totum abdominis cavum implente, sacco effluxit, qui in anteriore pariete cum peritoneo concreverat, itaque in illius incisione etiam hic incisus est. E penitior investigatione apparuit, hunc saccum enormem nihil aliud esse, nisi ovarium sinistrum, quod cellae simile hydatidibus magnitudinis et consistentiae diversae completum erat. Posterior eius paries crassitudinem fere quatuor digitorum adaequavit, et conditionem steatomati similem ostendit. Hoc ovarium sinistrum sese extendit usque ad regionem musculi Psoae lateris sinistri, ubi utero adnexa fuit, qui ad superioris pelvis partis pressus ossi ileum lateris sinistri insedit, ibique modo sat notabili eum conformavit tumorem, qui in regione inguinali dextra persensus fuit, et ovarium dextrum degeneratum visum est.

Volumen uteri quadruplum fere adauctum fuit, substantia in fundo in massam steatomatosam transire incepit. Portio vaginalis dura quidem, attamen non scirrhusa fuit. Cum vagina digitos septem longa esset, exploratione de priore portionis vaginalis statu nihil eruendum fuit. Ovarium dextrum, quod duplicem naturalem magnitudinem habuit, ad ossa pelvis pressum, et hydatidibus quoque expletum fuit. Abdominis viscera erant normalia, modo ad superiores partes cum diaphragmate in cavum pectoris pressa, in

quo pulmones parvi quidem sed sani aderant. Explo-  
ratio renum nihil prorsus status aegroti ostendit; ve-  
sica urinaria parva, sed sana fuit.

V I T A

Henricus Jacobus Galleus Beck,  
die VIII. mensis Octobris anni MDCCY.  
Soborbonii ad Rhodanum, patris Jacobi  
et matris Johanne e gente Schmidt, quos  
familia nobis procurantibus morte ereptos iugos,  
conspicuum orationis addidit eum. Hi-  
nus hinc in viderentur in patria ubi a  
bello Schachtel instructus inde per ep-  
suo anno Germaniam frequentari, quod  
Cruciaci horum sigillorum



## V I T A.



Henricus Jacobus Guilelmus Beck,  
die VIII. mensis Octobris anni MDCCCV.  
Sobernhemii ad Navam natus, patre Jacobo  
et matre Josephina e gente Schmitt, quos  
iamdiu mihi praematura morte ereptos lugeo,  
confessioni evangelicae addictus sum. Pri-  
mis litterarum elementis in patria urbe a  
beato Schneider instructus inde per sep-  
tem annos Gymnasium frequentavi, quod  
Crucenaci floret vigetque.

Anni MDCCCXXVI. mense Aprili Instituti Medico - Chirurgici Friderico - Guilelmani civibus adscriptus rei medicae per quadriennium eo, quo potui labore, incubui, nec omissis studiis, quae inter humaniora referuntur. Studiorum vero cursus is fuit; Praeceptores mihi fuerunt:

Cel. Wolff in Hodegetice, Logice et Psychologica; Illustr. de Humboldt in Geographia Physicali; Illustr. Knape in Osteologia, Splanchnologia, arte formulas medicas conscribendi; Celeb. Turte in Physice, Chemia, Pharmacia; Ill. Hermbstaedt in Pharmacia et Chemia; Celeb. Schubarth in Toxicologia; Illustr. Linck in historia naturali, Botanice, Toxicologia; Illustr. Lichtenstein in Zoologia; Illustr. Rudolphi in encyclopaedia medica, Anatomia universa, nec non comparata, in arte cadavera rite dissecandi, in doctrina de Entozois et Physiologia; Cel.

Eck in Physiologia; Celeb. Schultz in Botanice et Physiologia; Illustr. Fr. Hufeland in Pathologia et Therapia tam generali, quam speciali, atque in Semiotice; Illustr. Osann in materia medica, inque doctrina de fontibus medicatis; Illustr. Horn in doctrinis de Pathologia speciali ac de morbis mentis; Illustr. Wagner in medicina forensi; Celeb. Casper in arte formulas medicas concinnandi; Illustr. Kluge in Chirurgia generali, Akiurgia, in doctrina de fracturis et luxationibus ossium, in arte fascias imponendi, atque arte obstetricia; Celeb. Juengken in ophthalmiatrice atque in Chirurgia universa; Illustr. de Graefe in Akiurgia; Celeb. Hecker disputationum latino sermone de rebus medicis habendarum moderator exstitit. Idem Celsi de medicina libros mihi interpretatus est. — Institutionibus clinicis interfui medicis virorum Illustr. C. W. Hufeland, Bartels, Wolff,

chirurgicis Illustr. de Graefe et Rust, ophthalmiatricis Celeb. Jüngken.

Peracto denique studiorum cursu in Nosocomio Caritatis per annum functus sum medici inferioris munere.

Iam vero tentaminibus, tum philosophico coram amplissimo philosophorum ordine, tum medico, atque examine rigoroso coram gratiosa medicorum facultate absolutis, spero fore, ut dissertatione thesibusque publice defensis summi in utraque medicina honores rite mihi tribuantur.

---

---

T h e s e s d e f e n d e n d a e.

---

I.

Morbi syphilitici sine mercurio citius, iucundius, nec minus tuto quam mercurio sanantur.

II.

Nullus Medicus, nisi etiam Chirurgus.

III.

Partus omnes, etsi organismi viribus ipsis possint absolvi, minime semper a medico naturae sunt relinquendi.

IV.

Incisio ad hydrocelen radicatus curandam praeferenda est.

---